



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Imitatione Christi**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiae, 1607**

De familiari amicitia lesv. 8

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](#)

## CAP. VIII.

*De familiari amicitia Iesu.*

1 **Q**VANDO Iesus adest, totum bonum est, nec quidquam difficile videtur. Quando verò Iesus non adest, totum durum est. Quando Iesus intus non loquitur, consolatio vilis est. Si autem Iesus, vnum tantum verbum loquitur, magna consolatio sentitur.

*Ioan. 11.* Nónne Maria Magdalena, statim surrexit de loco, in quo fleuit, quando Martha illi dixit: Magister adest, & vocat te? Felix hora, quando Iesus vocat de lachrymis ad gaudium spiritus. Quàm aridus & durus es sine Iesu. Quàm insipiens & vanus, si cupis ali-  
*Mat. 16.* quid extra Iesum. Nónne hoc est maius damnum, quàm si totum perderes mundum?

2 Quid potest tibi mundus conferre, sine Iesu? Esse sine Iesu, grauis est infernus: & esse cum Iesu, dulcis est *Rom. 8.* paradisus. Si fuerit tecum Iesus, nul-  
*Mat. 13.* lus poterit nocere inimicus. Qui inuenit Iesum, inuenit thesaurum bonum, immò bonum super omne bonum. Et qui

qui perdit Iesum, perdit nimis mul- *Luc. 12.*  
tum, & plus quam totum mundum.  
Pauperrimus est, qui viuit sine Iesu: &  
ditissimus, qui bene est cum Iesu.

3 Magna ars est, scire cum Iesu con-  
uersari; & scire Iesum tenere, magna  
prudentia. Esto humilis & pacificus, *Prou. 3.*  
& erit tecum Iesus. Sis deuotus &  
quietus, & manebit tecum Iesus. Potes  
fugare Iesum, & gratiam eius perdere,  
si volueris ad exteriora declinare. Et si  
illum effugaueris & perdideris, ad  
quem fugies, & quem tunc quæreris  
amicum? Sine amico, non potes bene  
viuere: & si Iesus, non fuerit tibi præ  
omnibus amicus, eris nimis tristis &  
desolatus. Fatuè igitur agis, si in aliquo *Gal. 6.*  
altero confidis, aut lætaris. Eligendum  
est magis, totum mundum habere  
contrarium, quam Iesum offendit.  
Ex omnibus ergo charis, sit Iesus solus  
dilectus specialis.

4 Diligantur omnes propter Iesum,  
Iesus autem propter seipsum. Solus  
Iesus Christus, singulariter est aman-  
dus: qui solus bonus & fidelis, præ  
omnibus inuenitur amicis. Propter ip-  
sum, & in ipso, tam amici quam inimi- *Mat. 5.*  
*Luc. 5.*

E ci, tibi

ci, tibi sint chari : & pro omnibus his exorandus est, vt omnes ipsum cognoscant & diligent. Numquam cupias singulariter laudari vel amari , quia hoc solius Dei est, qui similem sibi non habet . Nec velis, quod aliquis tecum in corde suo occupetur ; neque tu cum alicuius occuperis amore : sed sit Iesus in te,& in omni bono homine.

5 Esto purus & liber ab intus , sine alicuius creaturæ implicamēto. Oportet te esse nudū , & purū cor ad Deum gerere : si vis vacare & videre , quām suavis sit Dominus . Et reuerā ad hoc non peruenies , nisi gratia eius fueris præuentus & intractus : vt omnibus euacuatis & licentiatis, solus cum solo vniaris. Quando enim gratia Dei ve- nit ad hominem , tunc potens fit ad omnia . Et quando recedit, tunc pau- per & infirmus erit , & quasi tantū ad flagella relictus . In his non debes deiici, nec desperare ; sed ad volunta- tem Dei æquanimiter stare , & cuncta superuenientia tibi , ad laudem Iesu Christi perpeti : quia post hiemem se- quitur æstas; post noctem redit dies; & post tempestatem magna serenitas.

C A P.